



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De diocesanis Ecclesi destitutis. xxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMACI

poli tam pro religione catholica, quàm & pro regis Theodorici causa negotii suadente atque hortante, Arrianorum extirpante, piissimo atque Christianissimo Iustino orthodoxo imperatore, quascunque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, catholicas eas domino operante consecrauimus.

De diœcesanis Ecclesiis destitutis. Cap. XXXIII.

*Ex cõcil.
Terraco
nensi, ca. 9*

Multorum casuum experiẽtia magistrante, reperimus nonnullas diœcesanas Ecclesias destitutas. Propter id constitutione decreuimus, vt antiquæ consuetudinis ordo seruetur, & annis singulis ab episcopo diœcesis visitentur, & si qua fortè basilica reperta fuerit destituta, oratione ipsius reparetur: quia tertia pars ex omnibus antiquam traditionem vt accipiatur ab episcopis, ex principibus nouimus statutum.

Qualiter destitutam Ecclesiam alteri Ecclesie reuocandæ coniungere valeat episcopus. Cap. XXXIII.

*Ex regist
Greg. ad
Bacaudã
Formiense
epif. mis.*

Et temporalis necessitas nos perurget, & imminuta exigit personarũ, vt destitutis Ecclesiis salubri ac prouida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quodammodo Ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quàm plebis destitutam desolatione cognouimus, tuamque pro ea petitionem quatenus Formianę Ecclesie in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cuique fraternitas tua præfata adiungi debeat, & piam esse ac iustissimam præuidente necessarium duximus, consulentes tam desolationi loci illius, quàm tuę Ecclesie paupertati, redditus supradictę Ecclesie Minturnensis, vel quicquid ei antiquo modernoque iure, vel priuilegio potuit potestue qualibet ratione competere, ad tuę Ecclesie ius potestatemque hac præcepti nostri autoritate concedimus, vt à præsentis tempore, sicut propria quippe Ecclesia debeas cogitare, ei que competentie tuę prouisione disponere, quatenus deinceps, quod perire nunc vsque potuit, pauperum Ecclesie tuę utilitatibus, cleri que proficiat.

*Ex conc.
Elibertã,
cap. 2.*

Vt picturæ in Ecclesia fieri non debeant. Cap. XXXV.

Placuit picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.